



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

3 vtrum habitus distinguantur secundum bonum, & malum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

de patet responsio ad primum. Ad secundum uero dicitur quod obiectum ut obiectum non dicitur causam effectiua & propterea non prohibetur quin distinguatur aliter quam effectiue. & reuera potest distinguere non solum effectiue, sed formaliter extrinsece tamen & finaliter habitus sunt de actibus, ut alias dictum est. Idem enim est iudicium.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod in distinctione potentiarum, nec etiam habituum, non est considerandum ipsum obiectum materialiter, sed ratio obiecti differens specie, uel etiam genere: quauis autem contraria specie differant diuersitate rerum, tamen eadem ratio est cognoscendi utriusque: quia unum per aliud cognoscitur. & ideo in quantum conueniunt in una ratione cognoscibilis, pertinent ad unum habitum cognoscitiuum.

AD II. dicendum, quod terram esse rotundam per aliud medium demonstrat naturalis, & per aliud astrologus. Astrologus enim hoc demonstrat per media mathematica, sicut per figuras eclipsium, uel per aliud huiusmodi. naturalis uero hoc demonstrat per medium naturale, sicut per motum grauium ad medium, uel per aliud huiusmodi. Totum autem uirtus demonstrationis, quae est syllogismus faciens scire, ut dicitur in I. Posteriorum. \* dependet ex medio: & ideo diuersa media sunt sicut diuersa principia actiua, secundum quae habitus scientiarum diuersificatur.

AD TERTIUM dicendum, quod sicut Philosophus dicit 2. Physicorum. \* & in 7. Ethicorum. \* ita se habet finis in operabilitate, sicut principium in demonstratiuitate. & ideo diuersitas finium diuersificat uirtutes, sicut & diuersitas actiuorum principiorum. sunt etiam ipsi fines obiecta actuum interiorum: qui maxime pertinent ad uirtutes, ut ex supra dictis patet. \*

ARTICVLVS III.

Utrum habitus distinguantur secundum bonum, & malum.

IN ar. 3. nota quod apud auctorem hic non dicitur quod impossibile est, quod idem habitus transeat de bono in malum, aut e conuerso, sed quod impossibile est, quod sit bonus & malus, eo quod sunt bonus & malus diuersarum specierum, & contrarium impossibile est. n. contraria esse simul unius individui. Et hoc bene nota prosequentibus.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod habitus non distinguantur secundum bonum & malum. Bonum enim & malum sunt contraria; sed idem habitus est contrariorum, ut supra habitum est. ergo habitus non distinguuntur secundum bonum & malum.

¶ 2. Praeterea. Bonum conuertitur cum ente, & sic cum sit commune omnibus, non potest sumi ut definitio alicuius speciei, ut patet per Philosophum in 4. Topicae. \* similiter etiam malum, & non ens, non potest esse alicuius entis differentia. non ergo secundum bonum & malum possunt habitus specie distinguuntur.

¶ 3. Praeterea. Circa idem obiectum contingit esse diuersos habitus malos, sicut circa concupiscentias intemperantiam & insensibilitatem: & similiter etiam plures habitus bonos. Cuiusmodi humana, & uirtute heroicam, siue diuinam, ut patet per Philosophum in 7. Ethicorum. \* non ergo distinguuntur habitus secundum bonum, & malum.

SED CONTRA est, quod habitus bonus contrariatur habitui malo, sicut uirtus uitio, sed contraria sunt diuersa secundum speciem. ergo habitus differunt specie secundum differentiam boni & mali.

RESPON. Dicendum, quod sicut dictum est, habitus specie distinguuntur non solum secundum obiecta, & principia actiua, sed et in ordine ad naturam. quod quidem contingit dupliciter. Uno modo secundum conuenientiam ad naturam, uel etiam secundum disconuenientiam ab ipsa; & hoc modo di-

stinguuntur specie habitus bonus & malus. nam habitus bonus dicitur, qui disponit ad actum conuenientem naturae agentis; habitus autem malus dicitur, qui disponit ad actum conuenientem naturae. sicut actus uirtutum naturae humanae conueniunt, eo quod sunt secundum rationem: actus uero uitiorum cum sint contra rationem, a natura humana discordant. & sic manifestum est, quod secundum differentiam boni & mali, habitus specie distinguuntur. Alio modo secundum naturam habitus distinguuntur ex eo, quod habitus unum disponit ad actum conuenientem naturae inferiori, alius autem habitus disponit ad actum conuenientem naturae superiori. & sic uirtus humana, quae disponit ad actum conuenientem naturae humanae, distinguitur a diuina uirtute, uel heroica, quae disponit ad actum conuenientem cuidam superiori naturae.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod contrariorum potest esse unus habitus secundum quod contraria conueniunt in una ratione: nunquam tamen contingit, quod habitus contrarii sint unius speciei. Contrarietas enim habituum est secundum contrarias rationes, & ita secundum bonum & malum habitus distinguuntur, in quantum unus habitus est bonus & alius malus, non autem ex hoc quod unus est boni, & alius est mali.

AD SECUNDUM Dicendum, quod bonum commune omni enti non est differentia constitutens speciem alicuius habitus, sed quoddam bonum determinatum, quod est secundum conuenientiam ad determinatam naturam scilicet humanam: similiter etiam malum quod est differentia constitutiva habitus, non est priuatio pura, sed est aliquid determinatum repugnans determinatae naturae.

AD TERTIUM Dicendum, quod plures habitus boni circa idem specie distinguuntur secundum conuenientiam ad diuersas naturas, ut dictum est: plures uero habitus mali distinguuntur circa idem agendum secundum diuersas repugnantias ad id, quod est secundum naturam, sicut uni uirtuti contrariantur diuersa uitia circa eandem materiam.

ARTICVLVS IIII.

Utrum unus habitus ex multis habitibus constituatur.

AD QUARTUM sic proceditur. Videtur quod unus habitus ex pluribus habitibus constituatur. Illud enim, cuius generatio non simul perficitur, sed successiue, uidetur constitui ex pluribus partibus: sed generatio habitus non est simul, sed successiue ex pluribus actibus, ut supra habitum est. ergo unus habitus constituatur ex pluribus habitibus.

¶ 2. Praeterea. Ex partibus constituitur totum: sed uni habitui assignantur multae partes, sicut Tullius \* ponit multas partes fortitudinis, & temperantiae, & aliarum uirtutum. ergo unus habitus constituitur ex pluribus.

¶ 3. Praeterea. De una sola conclusione potest scientia haberi actus & habitus; sed multae conclusiones pertinent ad unam scientiam totam, sicut ad geometriam, uel arithmeticae. ergo unus habitus constituitur ex multis.

SED CONTRA. Habitibus cum sit Prima Secundae S. Thomae. O 4 sunt

¶ Super questionis quinquagesimae quartae articulum quartum.

IN articulo quarto dubium primo occurrit ex Scotto in prologo primi sententiarum, in assignatione primi subiecti habitus, ubi conatur soluere hanc rationem tacta hic in litera. Quod sicut potentia una ad multa se extendit propter unitatem obiecti, ita habitus: inquit enim Scotus, quod proportionem obiecti ad potentiam, & obiecti ad habitum, sunt diuersae, nam illa est actiui ad passiuum: ista est causa ad effectum: modo ita est, quod in quodcumque passum potest aliquid agere, potest omne eiusdem rationis agens. Prima igitur extrema proportionis actiui ad passiuum, O 4 sunt

D. 97.

In cor. arti.

Sup. q. 5. ar. 1. li. 2. ad. 1.

q. 51. ar. 2.

Li. 2. de inuestitione in fol. 4. ante finem lib.

Tex. 3. to. l.

Li. 5. Physicorum. 2. ar. 1. Li. 7. Ethicorum. 2. ar. 1. mo. 5. q. 9. ar. 2. & 3.

¶ Super quatuordecim quinquagesimae quartae articulum tertium.

Ar. 2. ad. 1.

Li. 4. no. meliorum remore a princ.

cap. 4. circa princ. to. 5.

Ar. preced.